



2116



L: 145



angeb. 10

ORATIO  
DE SIMILITUDINE IN  
QVA DICITVR, EVANGELI-  
um simile esse fermento mixto tri-  
bus farinæ satis. Recitata à  
Decano Collegij Philoso-  
phici, Valentino Tru-  
tiger Hallensi Do-  
ctore artis Me-  
dicæ.

VVITEBERGAE.

M. D. LV.



manuscript text:  
Manthian Postposim  
Eckels. Cammera 157.

V. G. M.

# ORATIO DE SIMILITV.

dine in qua dicitur, Euangelium  
simile esse fermento mixto  
tribus farinæ Satis.



ISI certo sciremus hanc  
ærumnosam uitam, iter  
esse ad dulcissimam coa-  
lestis Ecclesiæ consue-  
tudinem, in qua Deus  
se se nobis palam ostena-  
det, & suam lucem, sa-  
pientiam, iusticiam, læticiam in tota  
æternitate communicabit, quis sustinea-  
re dolores & agonas huius uitæ innu-  
merabiles posset aut uellet? Sed intue-  
amur illum portum, ad quem accedi-  
dimus, Simul etiam sciamus nos in hac  
naui, quæ fæuissimis flatibus agitatur,  
nequaquam solos & sine auxilio esse.  
Semper assidet ad clavum filius Dei cu-  
stos humani generis, qui naturam hu-  
manam assumpsit, ne hæc nostra massa  
funditus periret. Hic protegit, armat,  
erigit, sustentat, adiuuat nos, ne hac

A ï tanta

**T**anta mole misericordiarum oppressi extin-  
guamur. Viviimus igitur non ut φιλόψυ=  
χοι, quia uita per se dulcis sit, aut sit ple-  
na voluptatum : Sed ut Deo obtempe-  
remus, & freti opitulatore filio Dei labo-  
res adsiduos, curas, dolores, in Ecclesijs,  
in scholis, in castris, in curia, & in oecos-  
nomia sustinemus, & illam arcem æter-  
nam hoc ærumnoso cursu petimus.  
**H**æc de uiuendi causis, miserijs & au-  
xilijs, assidue cogitanda sunt, ut confir-  
mentur animi, ne labores necessarios  
defugiant, aut deserant. Hanc cōmo-  
ne factiōem vox diuina s̄æpe proponit,  
iubet singulos facere sui officij operas,  
& petere & expectare fœlices euentus  
à Deo. Subditus esto Deo, inquit Psal-  
mus, & ora eum.

**E**tsi igitur hunc nostrum laborem  
in docendo & discendo, & totam do-  
ctrinarum propagationem, comitantur  
multæ res molestæ, contemptus, odia,  
paupertas, ingentia certamina, calum-  
nia, ingratitudo, exilia, supplicia, tamen  
quia

quia scimus Deum seuerissime precepisse  
re & docendi & discendi laborem, hanc  
militiam non deserimus, nec abnegamus  
huius nostri muneris exercitia, & ope-  
ras. Oramus autem filium Dei, qui est  
 $\lambda\circ\gamma\Theta$  æterni Patris, ut ipse hanc  $\lambda\circ\gamma\iota\kappa\mu$   
 $\lambda\alpha\tau\rho\iota\alpha\mu$  gubernet & adiuuet. Vigilantia  
& sapientia humana non est par nostris  
& periculis & certaminibus. Nam &  
natura facile languefiunt ingenia, et dia-  
boli multipliciter insidiantur docentib.  
& dissentibus, ut omnium seculorum  
horribilia exempla ostendunt. Quæ  
enim ætas fuit sine monstrosis opinio-  
nibus & sine calumnijs & sine sycophan-  
tijjs & sine corruptelis, sine dissidijs.  
Extant libri testes de tota antiquitate.  
Sed tamen in Ecclesia filius Dei, non si-  
nit penitus extingui lucem ueritatis, &  
cum sit  $\lambda\circ\gamma\o\varrho$  æterni Patris, uere est effi-  
cax voce suæ doctrinæ, & aliquorum  
mentes docet & confirmat, ne à uerita-  
te aberrent. Sicut & precatur, Sanctissi-  
ma eos in ueritate, sermo tuus est ueritas.  
Et hæc ultima & delira mundi ætas eo

A ij plus

plus habebit errorum, quia paulatim ma-  
iores sient & Ecclesiarum & imperiorū  
dilacerationes. Et crescent odia, & fu-  
riæ ambiciosorum ingeniorum impedi-  
ent saniorum colloquia, & deliberatio-  
nes. Intelligamus igitur pericula, &  
assidue precemur filium Dei dominum  
nostrum Iesum Christum, ut nos & gu-  
bernet & confirmet, ne ab ipso aberre-  
mus.

Hæc præfati sumus de scholaisticis  
laboribus, ut & discendi & precandi  
cura exuscitur. Nunc quia in his ho-  
nestis congressibus decet aliquid de  
parte aliqua doctrinæ ad iuniores erudi-  
endos dicere, sumam Argumentum nō  
alienum à Medicorum doctrina. Pin-  
git dominus aliquot imagines Ecclesiæ:  
quarum una hæc est: Ait simile esse  
Regnum cœlorum fermento, quod mu-  
lier miscet tribus farinæ satis, donec to-  
turn fermentetur, Brevis narratio est,  
sed dulcis consideranti, quia multa do-  
cet de ministerio Euangeli, de collecti-  
one Ecclesiæ, de renouatione hominis,  
de resti-

de restitutione iusticiæ & uitæ æternæ.  
Huius doctrinæ cōsideratio bonas men-  
tes & confirmat & consolatur. Nos cer-  
te in scholis talium narrationum voca-  
bula iunioribus interpretari debemus.  
Primum igitur de uocabulis dicam :  
Satum hoc loco uox Ebrea est mensu-  
ram significans, quæ est tertia pars Me-  
dimni, Erunt igitur tria sata Medimnus  
integer. Ut autem uelut ob oculos po-  
nam mensuræ magnitudinem, Medim-  
nus Atticus propemodum congruit cū  
Lipsico Medimno , quem nominant  
Lipsiæ ein Schöffel / Id etiam ex ue-  
teri precio intelligi potest. Erat enim le-  
ge premium Medimni Tritici usitatum  
Athenis drachmæ quinqꝫ, uidelicet, di-  
midium Coronati, ut Demosthenes nar-  
rat in oratione contra Phormionem de  
Mutuo. Hanc diligentiam consideran-  
di uetera precia non existimare inutilem  
esse. Nam & historiæ fiunt magis per-  
spicuæ, & nos quidem in remedij scire  
mensuras ueteres et pondera necesse est.  
Sed nunc historica tractamus.

A iiiij

Iubet

Iubet Deus collocari duodecim panes nouos in Altari singulis Sabbatis. Nec unquam licebat relinquī uacuum Altare, uoluit enim Deus ostendere sibi curæ esse, ut Sacerdotum familiæ uictū necessarium haberent. Ideo uoluit in conspectu esse panes ante uenturam septimanam. Iussit autem singulos panes fieri ex quinta parte Ephi, id est, Medimni. Iam cum Medimni precium sit drachmæ quinque, singuli panes ualebunt singulis drachmis. Et cum ad usum domesticum Sacerdos habuerit tales panes duodecim, id est, panes pro duodecim drachmis, mediocris familia diebus septem inde ali poterat, cum panes haberet pro integro Ioachimico & dimidio.

Quod autem Dominus nominatim dicit de tribus satis, & de muliere, existimo eum intueri conuiuiū Abrahæ, cui ipse interfuit, in quod illustris pictura proponitur, vitulus mactatur, qui significat uictimā Messiam, & Sara, id est, Ecclesia ex trib. farinæ satis panes facit. Hoc est, Ecclesia accipit uocem Euangelij à filio

à filio Dei, & eam tradit auditoribus, in  
quibus Euangelium non est inanis so-  
nitus, Sed reipsa est potentia Dei ad fa-  
ludem omni credenti. Hac ipsa uoce fi-  
lius λόγος est efficax, reuocat ex morte et  
doloribus inferorum eos, qui hac se con-  
solatione in ueris pauoribus sustentant.  
Cum autem delectaretur Dominus re-  
cordatione dulcissimæ consuetudinis,  
quæ fuit cum Abraham & alijs prestans-  
tibus uiris, libenter ex illo conuiuio si-  
militudinem sumpsit. Id etiam eo liben-  
tius fecit, ut significaret Euangelium  
non constituere noua imperia Politica,  
Sed à muliere, id est, ab Ecclesia docen-  
te, Fermentum, id est, Euangelium mi-  
sceri auditorum mentibus & pectorib.

Colligitur ergo Ecclesia, cum uox  
humana sonat Euangelium, Simul autē  
ea uoce filius λόγος ipse est efficax. As-  
memus igitur uocem ministerij, & Sten-  
kefeldij fanatica deliramenta execre-  
mur, qui mentes abducit ab Euangilio,  
& horrendis clamoribus contendit,

A v Deum

Deum se sine Euangelij cogitatiōe men  
tibus communicare.

Hic & fermenti natura in panibus  
consideranda est, quæ non est ociosa,  
sed totam massam facit rariorem, & ad-  
iuuat penetrationem, & coctionem.  
Non accipiunt Euangelium isti, qui tan-  
tum gestus imitantur qualicunq; hypo-  
cristi, & retinent in mente dubitationes  
de uoluntate Dei, & in corde fremitus  
aduersus Deum, & ueræ doctrine odia,  
& piorum parricidia.

Sed cur tres mensuras, seu tria Sata  
nominat? Audiui uirum piūm & eru-  
ditum, qui accommodabat ad tria mun-  
di tempora: Ad Ecclesiam ante Mois-  
sen, deinde ad sequentem ætatem, &  
post Apostolos ad hanc collectionem  
Ecclesiæ ex Gentibus & Iudæis. Non  
displicuit hæc accommodatio, Sed cum  
de transmutatione dicatur, existimo re-  
ste posse accommodari tria Sata farine,  
ad tres uires in Anima, ad θυμονικὸν,  
ad Συμικὸν, & ad ἐπιθυμητικὸν. Quales te-  
nebrae

nebræ semper fuerunt, sunt, & erunt in  
τεμονικῷ, sine luce Euangeliū. Legun-  
tur Ethnicorum & Philosophorum fu-  
rores, qui aut prorsus fuerunt Ἀνεοι ut  
Cyclopes, aut de Deo tetras opiniones  
fixerunt, ut Stoici, qui horribili contu-  
milia Deum adficiunt, cū fingunt eum  
scelera & uelle, & necessario uelle. Re-  
liqua multitudo fixit infinitam turbam  
Deorum. Ita nunc quales sunt in τεμο-  
νικῷ tenebræ in Mahometistis, in Papis-  
tis, & Anabaptistis. Aberrant à uero  
Deo Mahometistæ, negantes hunc uere  
Deum esse<sup>i</sup>, qui se patefecit missō filio,  
Negant etiam filium missum esse ut ui-  
ctima pro nobis fieret. Papistæ et si no-  
men filij retinent, tamen nec declarant,  
quid sit λόγος, nec beneficia ostendunt,  
& aperte extinguunt inuocationem, cū  
iubent te semper dubitare: an te Deus  
recepérít, & an exaudiat, Postea decur-  
runt ad Idola, inuocant homines mor-  
tuos, cum sciant non esse humanæ po-  
tentiaæ gemitus cordium iudicare, multi  
palam Statuas inuocant, & manifesta  
impietate

impieitate in circumgestatione tuentur  
ἀρτολατρείαρ.

Nuper edita est Austriaca Catechesis, in qua cum alijs multi errores stabiluntur, tum uero renouatur etiam deliramentum de Monachorum uotis. Nominant ibi perfectionem Euangelicam, simulatiōem paupertatis, & alios quosdam externos gestus. Impudentia scriptoris odio digna est, qui scit Euangeliā cam perfectionem esse agnitionem nostrae infirmitatis, & fiduciā Mediatoris, & præsentiam Dei in cordibus nostris transformantis nos, ut siamus similes imaginis Dei, quæ est ἀγένητη æterni Patris. Hæc ne illi quidem scriptori ignota sunt, Sed ut sui theatri plausus mereatur, repetit cantilenam Monachorum, seu Cynicorū potius. Nominat perfectionem illud Diogenis dolium & mendicitatem pugnantem cum ciuilis uitæ neruis, & pulcherrimo ordine legis diuinæ, quæ distinctionem dominiorum sapientissime sanxit. Scilicet huic præstigiatori non sunt perfecti Abraham, Joseph,

Joseph, David, Iosaphat, Ezechias, qui  
diuicias & imperia cum tenerent, recte  
inuocauerunt Deum, & custodes do-  
ctrinæ fuerunt, & inuocatiōem in quo-  
tidianis uitæ periculis exercuterunt, In-  
terea perfectum nominat Cynicum illū,  
scilicet, qui inter cæteros Philosophos à  
Demetrio Phalerensi ad conuiuum vo-  
catus, cum ei lagenā plena generosissi-  
mi uini proposita esset, arreptam lage-  
nam impegit capiti Demetrī, inquiens,  
Non congruere Cynico delicias. Talis  
est istius Cynici perfectio, Nam et scri-  
ptor ille nomen à Cane habet.

Breuiissime dixi de tenebris in οὐε-  
κτικῷ. Iam qualis confusio sit adpetici-  
onum in θυμῷ & ἐπιθυμητικῷ, uetus pi-  
ctura Platonis ostendit. Qui ait homi-  
nem Scyllæ similem esse cuius inferior  
pars partim Leonem, partim Canes re-  
fert. In conspectu sunt tristissimæ ca-  
lamitates publicæ, quæ oriuntur ab ἡσ-  
uicij, de quibus dictum est.

Nam cætera regna.

Luxuries

Luxuries uicījs odījs & superbia uer-  
xit.

Hæc' esse in θυμικῷ & ἐπιθυμητικῷ,  
manifestum est, & magnitudo publicas  
rum & priuatarum calamitatum ostens-  
dit in plurimis hominibus illa uicia do-  
minari & uere Tyrannidem exercere.  
Aduersus hæc ingentia mala in his tri-  
bus humanæ naturæ partibus, monstrat  
filius Dei ἀλεξιφάγμακον, non moly Ho-  
mericum, sed fermentum, quod ipse at-  
tulit Ecclesiæ sonanti uocem Euangeliū.  
**Q**uis existimet autem tantam huius fer-  
menti uim esse, ut tam seuas pestes de-  
pellere possit, tenebras in mente, incen-  
dia malorum affectuum in corde, ambi-  
tiones, odia, cupiditatem uindictæ, er-  
rantes amores, & obscenarum uoluptas-  
turn cupiditates, imo etiam, ut depelle-  
re insidiantes diabolos possit. Aduer-  
sus tantum cumulum malorum, quid op-  
ponis exigua fermenti massam, qd per-  
inde uidetur ac si uelis omnia alpium ius-  
ga digito aut fragili arundine transferre.  
Sed sciamus ipsum filium Dei adesse huic  
fermento,

fermento, nec esse inanem sonitum uos  
cem Euangeliū, Sed reuera esse poten-  
tiam Dei, ut Paulus inquit, qua non so-  
lum illa mala depelluntur, Sed etiam re-  
ipsa in nobis restituuntur, uita, sapien-  
tia, iusticia & læticia æterna. Illucescit  
γεμονικῶ uera Dei noticia, cum audita  
uoce Euangeliū λόγῳ ēterni Patris, ipse  
uoluntatem æterni Patris ostendit, &  
tibi uitam reddit. Hic etiam spiritu suo  
læticiam in corde accendit acquiescen-  
tem in Deo, quæ impellit ut accedas ad  
Deum, & inuocare ausis. Hæ nouæ  
flammæ in corde reprimunt errantes  
impetus. Ita non tantum foris aspergi-  
tur fermentum, sed penetrat omnes ui-  
res, Sicut Ebrea appellatiōe magis per-  
spicue significatum est, ubi dicitur: Tria  
Sata farinæ subigit. Fit hæc subactio  
in his quotidianis laboribus et ærumnis,  
quibus in suo quisq; officio aut dolore  
non leuiter exeretur. Fiebat hæc sub-  
actio in Dauide cum ex regno, scelere  
filij ejaceretur, & multo magis in animo  
cruciaretur recordatione sui lapsus tur-  
pissimi,

pissimi. Interea tamen sustentabat eum  
άογος uiuens fermento tectus.

Hic immensam bonitatem Dei &  
amorem filij erga nos consideremus,  
agnoscamus, grati celebremus, & de  
præsentia filij Dei in Ecclesia gubernan-  
tis, tegentis & seruantis eam, nos & ali-  
os recte doceamus, ut uera inuocatio  
accendatur. His cogitationibus nos  
exuscitemus, quod cum faciemus, aderit  
filius Dei, & studiorum & uitæ cursum  
reget, faciet nos organa salutaria nobis  
& Ecclesiæ. Quo bono nihil cogitari  
maiis aut melius potest. Quanti sunt la-  
bores, quanta certamina Periclis, Des-  
mosthenis, Phocionis, Ciceronis, Bru-  
ti & multorum aliorum, quorum infæ-  
lix cursus fuit & ipsis & imperijs. Nos  
Deo gratias agamus quod ad æternæ  
Ecclesiæ societatem & ad labores utiles  
uocati sumus, & quod promittit Deus  
se perfecturum esse, ut labores inuo-  
cantium eum sint salutares, sicut scri-  
ptum est, Commenda Deo viam tuam  
& spera

& spera in eum, & ipse faciet. Item, Nō  
erit inanis labor uester in Domino. Te  
igitur fili Dei domine Iesu Christe  
toto pectore oro, ut Ecclesias  
harum Regionum serues &  
gubernes, & facias, ut  
in Deo unum  
simus.

DIXI.

QVAESTIO RECITATA  
à Magistro Andrea Titandro  
Brandenburgensi.

An Politica potestas debeat  
tollere Hæreticos?

SCIO hæc exercitia dicendi bono cō-  
filio instituta esse, nec requiri à no-  
bis perfectionem seu doctrinæ, seu elo-  
quentiæ, Sed honestam voluntatem nō  
defugientem has operas propter com-  
munem utilitatem, deinde & mediocrē  
oratiōem de rebus recte cogitatis, qua-  
rum

rum in uita utilis est consideratio. Quare cum iussus essem hoc loco dicere, nolui meo exemplo cuiusquam contumaciam confirmare, sed ostendi mereuerenter obtemperaturum esse. Nec dubito uos pro uestra æquitate meam orationem boni consulturos esse, quod tamen ut faciatis, reuerenter peto. Adfero autem questionem. An potestas Politica debeat Hæreticos, controuersiarite cognita, & post piam admonitionem, pertinaciter blasphemantes, ē medio tollere, aut capitali supplicio adficere? De hac questione audio certamen recens ortum esse postquam Seruetus, qui Samosateni uenenum renouauit, & alia pestifera dogmata sparsit, capitali supplicio adfectus est ab honesto Senatu in urbe Geneua. Ac nescio cur illi in tanto scelere iudicem esse uelint clementem, nisi putant prauis ingenijs concedendam esse licentiam infinitam maledicendi Deo. Sed tamen subtiliter disputant, non esse armandos hac potestate Magistratus politicos, quia postea

postea abusuri s̄int exemplo Tyranni  
aduersus recte s̄cientes, Sicut Rex  
Gallicus Franciscus rogatus, ne interfici-  
ceret homines honestos doctrinam Ec-  
clesiarum nostrarum amplectentes, hoc  
se exemplo excusauit, quod apud nos  
Anabaptistæ quoq; plecterentur. Vo-  
lunt igitur deterreri Magistratum hoc  
Argumento. Nemo habet executio-  
nem in causa de qua non habet cogniti-  
onem. Magistratus Politicus non ha-  
bet cognitionem de doctrina, Tantum  
custos est pacis inter ciues & iudicat ea,  
quæ ad corporis defensionem pertinent.  
Ergo nō habet ius tollendi aliquos pro-  
pter dogmata. Speciosum Argumen-  
tum est, præsertim cum Reges & Prin-  
cipes ualde abutantur sua potestate, Sed  
hi eò grauiter peccant, quia interficiunt  
sine uilla legitima cognitione, Res agitur  
per crudelissimos Sycophantas, qui  
sunt furiae Regum & eorum cœcitatem  
& impietatem confirmant. Constituta  
autem legitima cognitione ueiæ Eccles-  
iæ, cuius pars esse debet Magistratus

Bij Politicus.

Politicus. Sic argumentor. Magistratus custos esse debet primæ & secundæ tabulæ Decalogi, nec tantum est corporis custos, ut Armentarius, sed præcipue debet seruire gloriæ Dei. Debet igitur punire blasphemos, periuros, magos. Et inter blasphemos sunt Hæretici, qui dogmata contumaciter propugnant cum symbolis pugnantia, ut Manichei, qui duo contraria principia pariter æterna, bonum & malum φῶς Κύληρος, constituebant, aut Samosateni ad plausores, qui negant in Christo nato ex uirgine duas esse naturas, diuinam & humam. Cum autem lex Dei manifeste preceperit, Idola constituentes & blasphemos tolli è medio. Et tales sint hi Hæretici, nihil dubito Magistratus debere eos è medio tollere. Cum aut hæc questio longiorem explicatiōem postulet, oro reuerendum uirum Doctorem Georgiū Maiorem Præceptorem meū, qui etiā formator fuit adolescentiæ meæ in urbe Parthenope, ut pro sua erga me ueteri benevolentia copiosius de hac grauissima materia dicat. DIXI.

# RESPONSIO DOCTORIS

## Georgij Maioris.

O detestandam impudentiam uolentium Magistratus Politicos concedere infinitam licentiam prauis ingenios spargendi blasphemias. Nec obscure significant isti, quales ludos ament ipsi. Sese uolunt impune omnia Academico more disputare posse, ut perfette Ciceroniani uideantur, hoc est, desiderare omnes uolunt, ut alijs sapientiores uideantur. Hæc petulantia in hac Anarchia, & dilaceratione imperiorum & Ecclesiarum, proh dolor crescit.

Quare p̄ij & sapientes gubernatores prudenter cogitare debent de neruis concordiæ in Ecclesijs, quæ recte Deū inuocant. Fuit laudanda grauitas Ecclesiæ Antiochenæ, quæ cum Samosatenum damnasset, controuersia ordine cognita, petiuit ab Aureliano Imperatore quanquam Ethnico, ut pelleret urbe Antiochia Samosatenum. Huic petitioni, quia rem iudicatam esse à pluri-

B ij mis

mis Episcopis uirtute præstantibus ad  
dierat, ad sensit. Respondeo igitur de  
tua questione breuiter. Turpe est co-  
gitare Magistratum Politicum tantum  
uelut Armentarium, custodem esse cor-  
porum. Prius officium est retinere ue-  
ram Dei noticiam in genere humano &  
disciplinam, Ideo Regulam tenemus.  
Magistratus est custos Legis, uidelicet,  
primæ & secundæ Tabulæ. Necesse est  
igitur ab eo tolli blasphemos, periuros,  
magos. Et inter blasphemos sunt, qui  
idolorum cultum, aut hæreses aperte  
pugnantes cum Symbolis, pertinaciter  
defendunt. Quod autem obijcitur, Christus  
non sancire supplicia corporum,  
Tantum dicit, sit tibi uelut Ethnicus.  
Ad hoc manifesta Responsio est, Christus  
de iudicij Ecclesiæ loquitur, Non  
de imperijs. Interea tamen adprobat  
Politias. Et certe ipsam legem Dei quæ  
est sapientia & iusticia Dei non abolet  
Christus. Lex bona est, inquit Paulus,  
legitime utenti. Item, Lex posita est  
impijs & prophanis, ubi certe blasphemos

mos cōpletebitur. Paulus. Illa uero quæ  
rela de Tyrannis abutentibus imperio,  
& exercentibus seuiciam hoc prætextu,  
non abducat pios Principes à cura co-  
gnoscendæ doctrinæ, & rite tuendi con-  
sensum in uera doctrina. Peccant Ty-  
ranni eo quia sine legitima cognitione  
homines interficiunt. Qualis autem in-  
stituenda sit cognitio , qui ordo iudicij  
esse debeat, ostendit Synodus Aposto-  
lorum in Actis. Et Christus inquit, Dic  
Ecclesiæ. Nec Tyrannidem , nec De-  
mocratiam constituit , Sed uult audiri  
eruditos in Ecclesia, ut uetus as inquit  
ou πλήθει, ἀλλα ἐπισῆμη δει μικράζει. Non  
multitudine, Sed scientia iudicandum  
est. Utinam autem esset talis & nos-  
tri temporis fœlicitas , ut alii  
quando p̄ij & erudití con-  
uenire & placide con-  
ferre cogitationes  
possent.

DIXI.

B iiiij DECA.

DECANVS COLLEGII PHILO-  
sophici in Academia Vitebergensi Valen-  
tinus Trutiger Hallensis, Artis  
Medicæ Doctor S. D.  
omnibus lecturis.

SCEPtra palestinæ cum rex tulit impius oræ,  
Herodes, sobolis prodigus ipse suæ.  
Colluuiæ uarijs diuersæ gentis ab oris,  
Ebræos miserè depopulatur agros.  
Sueta per infandas uitam producere cædes,  
Parthorum faciunt agmina seu metum.  
Hinc Syrus; inde furens septemplicis accola Nili,  
Ex omni prædam parte cruentus agit.  
Tuta nec insidijs urbs est hostilibus ulla,  
Perq; domos fiunt funera, perq; uias.  
Sæpe sinu matris dum lac puer exprimit ore,  
Ubera purpurea cæde cruenta facit.  
Sæpè genitricis pendens amplexibus infans,  
Cum misera tristi uulnere matre cadit.  
Has tamen insidias inter, gentesq; furentes,  
Zachariæ texit uilia tecta Deus.  
Angelicoq; sacras circumdedit agmine cunas,  
Quæ, Baptista, tibi dulce cubile dabant.  
Tuta, per abruptos, diuino numine colles,  
Ardua terribili per loca plena metu.  
Ad pueri properat celeri cunabula gressu,  
Casta parens nati virgo futura Dei.

Ah

Ah quoties teneris Baptista sustulit ulnis,

Ah quoties ori basia blanda tulit.

Ah quoties ipsi tali sermone locuta est,

Viue puer nati preco future mei.

Tum quoq; succrescens castæ sub pectore matris,

Sensit præconem Christus adesse suum.

Basiolisq; suum maternis miscet amorem,

Et puerum flatu recreat ipse suo.

Ergo uelut turmis hostilibus undiq; cinctus,

Iste Deo cœtus uindice tutus erat:

Sic, licet haud paruis nos uiribus urgeat hostis,

Auxiliatrices afferet ipse manus.

Et tumido quanuis pelago iactemur, et undis,

Ipse rati dubiæ nauita fidus erit.

Nos quoq; commissos studij perferre labores,

Et docta mentes excolare arte, iubet.

Ex qua uel capiat dulces Ecclesia fructus,

Aut res sit neruis publica firma suis,

Namq; Deus placitum uerbo sibi colligit agmen,

Largitur uitæ cui uenientis opes.

Ipse λεγθε uiuens æterni Patris imago,

Viuiscat uerbo pectora nostra suo.

Ocia quapropter qui non ignaua secuti,

Tempora sed studijs fida dedere suis.

Censuræ dubitant nec se committere nostræ,

De studijs rectum iudiciumq; pati.

His damus alloquij Soles cupientibus octo,

Vt sua dent solito nomina more scholæ.

B 5

Namq;

Namq; iuuare bonas studiose nitimur artes,  
Et dare militiae premia cuiq; suæ.

Christe Patris splendor, cunctiq; salutifer orbis,  
Da studium laudi seruiat omne tuæ.

Anno 1555. Die festo  
Iohannis Baptiste.

Christianus Lotichius.

DECANVS COLLEGII  
Philosophici Valentinus Tru-  
tiger Hallensis, artis Me-  
dicæ Doctor.

**V**M hodie celebretur recordatio-  
nūocationis, doctrinæ & confessio-  
nis Iacobi Apostoli, grati cogitemus,  
cum de cæteris beneficijs Dei, tum uero  
& de miranda Ecclesiæ collectione, que  
sit inde usq; ab initio per filium Dei, qui  
eo dicitur λόγος æterni Patris, quia Eu-  
angelium ex arcano consilio Diuinitatis  
profert, & primum sua uoce exponit,  
& semper adest Ecclesiæ, & in ea Pro-  
phetas,

phetas, Apostolos, Pastores, & Doc-  
tores uocat, tradit eis doctrinam suam,  
& in propagatione doctrinæ simul est  
efficax. Hæc ingentia beneficia grati  
celebremus, & cum sciamus uoce do-  
ctrinæ colligi Ecclesiam & non aliter,  
auidè discamus, & exercitia utilia discen-  
tibus tueamur. Hodie etiam Iacobi hi-  
storiā cogitemus, cuius mater fuit Sa-  
lome, de qua narratio extat in Matthæo  
& Marco. Apud Clementem Alexan-  
drinum, & aliæ de ea recitantur ex Eu-  
angeliō Aegyptiaco, scribit enim Salo-  
mæ interroganti Christum: quando  
uenturum esset regnum Messiæ, respon-  
disse Christum, tunc uenturum esse cum  
destrueretur opus mulieris. Et uerba  
Christi à Clemēte recitantur κατὰ  
λύσαν τὸ ἔγον τῆς θηλείας. Nominat Chri-  
stus ἔγον τῆς θηλείας, Heuæ lapsum &  
peccatum in posteritatem propagatum.  
Sed fanatici homines statim post Apo-  
stolorum tempora, Dictum illud cita-  
runt ad damnandum Coniugium, quasi  
ἔγον τῇ θηλείᾳ, generationem ibi uolu-  
erit

erit intelligi Christus. Tales corrupte  
lae semper ab indoctis & impijs in Ec-  
clesia sparsae sunt. Quare & in discendo  
simus diligentes, & simul petamus, ut  
Deus mentes nostras gubernet & con-  
firmet adhesionem in ueris sententijs.  
Ut autem alia multa exercitia discenti-  
um caussa instituta sunt in scholis, ita &  
examina fiunt publica & priuata. Si-  
gnificamus igitur uobis hodie nos pu-  
blicum Examien inchoaturos esse. Ad  
id ut conueniant Magistri hora prima  
petimus, quos quidem decet hoc suo  
officio consuetudinem utilem  
discentibus tueri. Die Ia-  
cobi Apostoli filij Ze-  
bedaei & Sa-  
lomes.

ANNO

1555.

DECAM

# DECANVS COLLEGII

Philosophici Valentinus Trus-  
tiger, Doctor artis  
Medicæ.

**I**N carmine Argonautico inquit Phryxi filius monstrator uiae se in templo Aegyptio uidisse tabulam, in qua fuerit pictura terræ & regionum. Quia ueteres Aegyptij Reges circumnauigata tota terra, uoluerunt metas huius totius domicilij humani generis, & singularium gentium sedes, antiquitatem, leges & mores inquirere, ac ferunt hodie nomen esse ultimæ Thyles in Sue dico mari ab Aegyptio Rege Thule, quem scribunt circumnauigata terra & inquisitis plurimarum gentium morib. in templum uenisse & interrogasse oraculum. Eset ne alias Rex maior ipso. Huic respondit oraculum. τῷωτα θεοῖς, μετέπετα λόγοις, οὐκ πνευμα σὺν αὐτοῖς. τὸ του ιράτος δέκτη βιώντος, συ δὲ θυκτὴ ωκεανοί, θοασὶ βάθιζε δέκτηλον διανυσας εἰος.

Post hanc oraculi uocem Rex Thules ex

Iles ex templo egressus mox à suis interfectus, dedit pœnas superbiæ, Ut exemplo pœnæ alij monerentur, ne in rebus secundis efferatur. Sed qualiscunq; hic Thules fuit, doctissimæ gentis Aegyptiæ consilium laudandum fuit, qd terræ spacia & metas, & rerū naturas, & gentium mores inquisuerunt, quia hæc cognitiōe digna esse iudicauerūt. Quales enim essent tenebre, si neçp; domicilij nostri metas, neçp; historias, neçp; legum & religionum initia & propagationes, neçp; rerum naturas, neçp; eas linguas sciremus, in quibus uestigia sunt uetus statis. Tales autem tenebræ essent, si doctrina Philosophica, historiæ, & linguarum studia delerentur. Hæc sæpè multumq; cogitanda sunt à junioribus, ut confirmant animos contra hostes doctrinarū, & propter communem generis humani utilitatem, & propter Ecclesiæ salutem maiore cura discant & cōseruare studeant artes uitæ & Ecclesiæ utiles. Cum igitur nostri labores prosint ad cōseruationem doctrinarum, bonæ mentes facere

uere exercitij scholasticis debent. Quare cum his diebus exploratio eruditionis aliquot auditorum nostrorum facta sit, tribuemus eis publicè testimonium eruditionis & gradum Magisterij Philosophici, quod faustum & fœlix sit primo die Augusti. Ad eam renunciationem testimonij, ut Doctores, Magistri, & auditores omnes conueniant, amanter eos oramus, & ut ostendant se his studijs fauere, & ut coniungant ibi sua uota nobiscum, ac precentur, ut filius Dei, Dominus noster Iesus Christus crucifixus pro nobis & resuscitatus, custos Ecclesiæ & λόγου æterni Patris, qui protulit ex arcano consilio diuinitatis Euangelij uocem, conseruet inter nos doctrinam suam, ιησού λογικήν λατρείαν, & mentes nostras gubernet, & faciat nos & hos, quibus gradum Magisterij tribuemus, σκέψην ελέους, & organa salutaria Ecclesiæ.

AMEN.

L  
I  
E  
S  
A  
L

V

1750. 1751. 1752. 1753.  
1754. 1755. 1756. 1757.  
1758. 1759. 1760. 1761.  
1762. 1763. 1764. 1765.  
1766. 1767. 1768. 1769.  
1770. 1771. 1772. 1773.  
1774. 1775. 1776. 1777.  
1778. 1779. 1780. 1781.  
1782. 1783. 1784. 1785.  
1786. 1787. 1788. 1789.  
1790. 1791. 1792. 1793.  
1794. 1795. 1796. 1797.  
1798. 1799. 1800. 1801.  
1802. 1803. 1804. 1805.  
1806. 1807. 1808. 1809.  
1810. 1811. 1812. 1813.  
1814. 1815. 1816. 1817.  
1818. 1819. 1820. 1821.  
1822. 1823. 1824. 1825.  
1826. 1827. 1828. 1829.  
1830. 1831. 1832. 1833.  
1834. 1835. 1836. 1837.  
1838. 1839. 1840. 1841.  
1842. 1843. 1844. 1845.  
1846. 1847. 1848. 1849.  
1850. 1851. 1852. 1853.  
1854. 1855. 1856. 1857.  
1858. 1859. 1860. 1861.  
1862. 1863. 1864. 1865.  
1866. 1867. 1868. 1869.  
1870. 1871. 1872. 1873.  
1874. 1875. 1876. 1877.  
1878. 1879. 1880. 1881.  
1882. 1883. 1884. 1885.  
1886. 1887. 1888. 1889.  
1890. 1891. 1892. 1893.  
1894. 1895. 1896. 1897.  
1898. 1899. 1900. 1901.  
1902. 1903. 1904. 1905.  
1906. 1907. 1908. 1909.  
1910. 1911. 1912. 1913.  
1914. 1915. 1916. 1917.  
1918. 1919. 1920. 1921.  
1922. 1923. 1924. 1925.  
1926. 1927. 1928. 1929.  
1930. 1931. 1932. 1933.  
1934. 1935. 1936. 1937.  
1938. 1939. 1940. 1941.  
1942. 1943. 1944. 1945.  
1946. 1947. 1948. 1949.  
1950. 1951. 1952. 1953.  
1954. 1955. 1956. 1957.  
1958. 1959. 1960. 1961.  
1962. 1963. 1964. 1965.  
1966. 1967. 1968. 1969.  
1970. 1971. 1972. 1973.  
1974. 1975. 1976. 1977.  
1978. 1979. 1980. 1981.  
1982. 1983. 1984. 1985.  
1986. 1987. 1988. 1989.  
1990. 1991. 1992. 1993.  
1994. 1995. 1996. 1997.  
1998. 1999. 1999. 1999.







